


DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.


QUÆSTIO MEDICA.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum die Sabbati undecimâ-tertiâ Januarii M. DCC. XLII.

M. JOANNE DE DIEST,
Doctore Medico, Præside.

An rarò Hæmorrhagiis Adstringentia?

I.



QUOS morbos latini sanguinis profluvia, eosdem græci dixerunt *Hæmorrhagias*. Harum ferè totidem species sunt quot partium. Quædam nullo, proprio quædam nomine donantur. Si ex naribus stillat fluitve sanguis, hæmorrhagiam simpliciter dicunt. Si ex ore rejicitur, varia pro partium undè manat diversitate nomina mutuatur. Cùm glutinosus Tonsillarum & faucium mucus striis saturatè purpureis variegatus screatu expellitur, sputum audit cruentum. Audit & idem sanguinolentus humor; sive à membranâ pituitariâ depluens, in os devolvatur salivæ permiscendus, sive ab interiori tracheæ tunicâ exudans, cum titillationis sensu sursùm pellatur ore expuendus. Cùm vividè rubens & admixto aëre spumosus sanguis tussiendo è pulmonibus dimanat, *Hæmoptysis* nuncupatur. Cùm tractis in consensum diaphragmate & musculis abdominalibus, molestam

molem, atro-rubentes grumos è ſinu ſuo expellit ventriculus pleno ore evomendos, cruentus adeſt vomitus. Huic ſi acceſſerit nigra picique ſimilis & graveolens alvi dejectio, niger Hippocratis morbus eſt. Si ex urinariis viis elabitur ſanguis, cruenti mictûs nomine inſignitur; ſeu æqualiter urinæ permixtus, moxque liquidus ſubſidens, à renum ſubſtantiâ eructetur; ſeu concretus urinæ ſubjacens, a ruptis veſicæ varicibus oriatur. Si ex apertis circa recti inteſtini fines repentibus arteriæ meſentericæ inferioris, aut venæ portarum ramificationibus, ańive exteriora ambientibus aortæ aut venæ cavæ capillamentis erumpit ſanguis, fluxum dicunt hæmorrhoidalem. Cùm ex uteri vaſis præter conſueta menſtruæ periodi tempora diù effluit & copioſus, hæmorrhagia uterina appellatur; lochia immodica nominandus cùm celebrato partu, ab eodem fonte erumpit abundantior. Memoratas in praxi quotidianâ obſervare hæmorrhagias non infrequens. Rariùs viſæ tamen ſunt mulieres per oculos menſtruatæ; viſæ gerentes utero matres ſanguineo ex mammis (a) fluxu, ultimis ante partum hebdomadibus laborantes; viſum ex umbilico (b), ex genu (c), ex minimo manûs digito (d) ſanguinis ſtillicidium, nullo, ceſſante fluxu, remanente unde manarat veſtigio; viſi periodicum ſanguinis profluvium per penis integumenta (e) patientes viri; viſæ varices ſanguinem profundentes (f); viſus cruento ſudore madens habitus corporis univerſus; viſus tandem, quod rariſſimum, ex omnibus ſimul ſenſibilibus corporis aperturis miſerè diffluens (g) ſanguis. Recenſitas hactenùs *hæmorrhagias*, externas meritò dixeris, quibus nempe foràs pellitur ſanguis. At cruor cæca quandoque ſubit coporis penetralia, internaſque parit ſanguinis eruptiones, certam perniciem allaturus. Teſtes ſunt pleraque quotquot Apoplexiâ forti demortuorum ſecta fuerunt (h) capita. Teſtis eſt anatomia practica, oriundas ſæpiſſimè ab effuſo interiùs ſanguine mortes repentinas (i) exhibens. Teſtes ſumus & nos, dum enim a firmiſſimâ ſanitate in orci fauces derepentè conjectam curioſi ſecamus juvenculam, ſanguine abundanter effuſo immerſa conſpeximus abdominis viſcera. Sua ſunt ſingulis ætatibus, temperamentis, anni temporibus, ſexibus propria & dicata quaſi ſanguinis profluvia. Pueris, temperamento ſanguineis, Maribus, circa æquinoctia, frequentior narium hæmorrhagia. Apud juvenes, temperamento cholerico-ſanguineos aut melancholicos, ſequiorem ſexum, hyemali tempore, ſævit potiſſimum hæmoptyſis. Adultis, ſanguineo-cholericis, mulieribus, familiarior cruenta vomitio. In viris, & mediâ ætate conſtitutis, fluunt imprimis hæmorrhoides. In ſenibus ſexuque nobiliore, ſæpiùs cruentatur urina. Omne ſanguinis profluvium vel criticum eſt vel ſymptomaticum, id eſt ſalutare vel periculoſum. Priori nulla niſi modum excedat debetur medicina, imò ejuſdem abſentis beneficia, vicariâ ſanguinis miſſione paranda ſunt. Poſterius fræno indiget, at quale frænum illi injicias vide diligenter. Non raró enim ſponte ceſſant ſanguinis profluvia; frequentiùs, incongruâ medicatione vel vires acquirunt, vel repentè cohibita pejoribus malis locum cedunt. In reprimendis ſanguinis eruptionibus, ea raró adhibeas medicamenta, quæ quidem ſanguinis effluxum cohibent aliquando, eundem verò non raró augent. Ea parcè uſurpes remedia, quæ ſpaſmos

(a) Junker. conſp. med. tab 133.
(b) Fabric. Hildan. cent. 3. obſ. 37.
(c) Bartholin. obſ. anat. cent. 1. hiſt. 30.
(d) Salmuth. cent. 3. obſ. 36. Hentic. ab Heer. obſ. 23. & 36.
(e) Stalpart van der Wiel. cent. 1. obſ. 80. Hoffm. tom. 3. ſect. 1. cap 3. §. 23.
(f) Junker. *ibid.* tab. v.
(g) Wedel. amœnit. mat. med. lib. 2. ſect. 2. c. 19.
(h) Theoph. Bonnet. ſepulch. tom. 1. lib. 1. ſect. 2. de apopl. obſ. 4. 7 9. 11. 12. 13. 15. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 29. 55. & in additam. ad hanc ſect. obſ. 2. 3. 13. 15. Hoffm. *ibid.* tom. 4. ſect. 1. cap. 7. Wepf. hiſt. apopl. hiſt. 1. 2. 3 *Id.* in actuar. earumd. hiſt. hiſt. 1. 11.
(i) Bonnet. *ibid.* tom. 1. lib. 2. ſect. 11. obſ. 1. 10. 44. & in additam. ad hanc ſect. obſ. 4. Lanciſi. tract. de Mortib. ſubit. lib. 1. cap. 8. 19. *Id.* lib. 2. cap. 1. *Id.* in obſerv. phyſic. anatom. nonnullorum qui repent. periere obſerv. 5. His omnibus obſervationib. accedit alia à Cl. viro D. Col de Vilars Decano vigil. communicata, hominis ſcilicet derepentè mortui, cujus aperto cadavere, maxima ſanguinis adhuc fluidi copia intra pericardium fuit reperta.

tollere nesciunt, eosdem arcessunt sæpiùs. Ea cautè in usum revoces auxilia, quæ spissiorem sanguinis & humorum crasim dissolvere, compescere *expansionem*, motus violentiores moderari, redundantiam imminuere, haud quaquam valent. Ea timidus propines pharmaca, quibus viscerum tollendi obstructiones potestas nulla est, quibus nimium fibrarum elaterem infringendi, consuetas sanguinis, aliusve generis evacuationes revocandi, prorsùs denegata est potentia. Ea demum ab hæmorrhagiarum curatione summoveas medicamenta, quæ cùm immediato potissimùm contactu operentur, rariùs ad partem sanguineo fluxu tentatam queunt pertingere.

II.

HÆMORRHAGIIS, si nimiæ fuerint, malum formidabilius nullum. His nempe exhauriuntur spiritus, prostrantur vires, extinguitur calor, reciproca solidorum & fluidorum in invicem actio fatiscit, simulque cum sanguine vita fugit. Tam funesta sanguinei fluxûs consectaria præcavere cupis? Quibus de causis sua purpureus latex perrumpat claustra scire priùs necessum est. Multiplex illarum numerus. Est ubi à sanguine nimium rarefacto, vel fortiùs per vasa moto, trahunt natales hæmorrhagiæ. Sic immoderata corporis exercitatio, iracundia vehementior frequentiorque, sanguinis motui dum calcar addunt, ejusdem pariunt profluvia. Sic nimius liquorum ardentium potus, aëris æstus fervidior, motus febrilis intensior, insuetam dum cient humorum *expansionem*, vasorum rupturam, contentique sanguinis effluxum causantur. Est ubi à stagnantibus aut congestis in aliquo viscere humoribus, arctiori carcere definitus sanguis exitum molitur & invenit. Sic liene obstructo è sinistrâ (*a*), hepate infarcto (*b*) è dextrâ nare stillat sanguis. Sic sedula cadaverum exploratio docet, hæmoptysis, necnon uterinæ hæmorrhagiæ parentes haud infrequentes esse polyposas in pulmonibus & in utero concretiones (*c*). Est ubi sanguis copiâ luxurians, humorum spissior indoles, evacuationum naturâ vel arte fieri solitarum defectus, reversuro ad cor sanguini nectendo moras, redundantis purpuræ effusioni ansam præbent. Sic plethoricis, torpentem otio vitam agentibus, sicciorem alvum deponentibus, mulieribus non menstruatis, familiares admodum hæmorrhagiæ. Aliquando inconsultè aut fortuito casu cohibitam hæmorrhagiam periculosius ex aliâ parte excipit sanguinis profluvium. Sic imprudentem fluentis è naribus sanguinis medicationem, sequitur quandoque nòn medicabilis in cerebro sanguinis effusio. Sic ab hæmorrhoidibus temerè retropressis originem nunquam non ducit mictus cruentus. Sic immodico menstruorum fluxu vel citò nimis, vel perversâ methodo liberatæ mulieres, immani sanguinis vomitu aut tabem prænuntiante hæmoptysi divexantur crudelius, nec raro. Est etiam ubi resecto ampliori quodam membro, superflua sanguinis pars aliena ad disruptionem usque distendit vasa, factoque demum impetu foràs prorumpit (*d*). Quas modò recensuimus, occasionales tantùm sunt hæmorrhagiarum causæ. Proxima illarum causa spasmus est. Æstuent quantumvis humores, obstruantur viscera, sanguinis sub pondere gemant vasa, mens irâ excandescat, intus retineantur excernenda, hìc & illìc hæreat spissior sanguis, fontemque à quo scaturiit ægriùs repetat, modò spasmodica absit partium contractio, consuetos limites non transiliet sanguinis purpura. Verùm quacunque ratione impedito alicubi sanguinis motu, validior superveniat partium tum internarum, tum externarum contractio, ociùs retroacti humores in loca delicatioribus membranis circumtensa, vasisque suffulta teneriotibus solitò vividiùs impingunt & arietant, jamque moræ impatiens latex purpu-

(*a*) Cælius Aurelian. lib. 1. cap. 4. Junker. tab. 66.
(*b*) Boerh. aph. 923. Junker. tab. 65.
(*c*) Hoffm. med. rat. tom. 3. sect. 1. cap. 8. §. 45. & cap. 16. §. 9.
(*d*) Lommius. obs. med. lib. 2. Hoffm. tom. 4. part. 2. sect. 1. cap. 1. §. 12.

reus, ruptis repagulis, fugam propetat. Viden ut fluxurum è naribus ſanguinem antecedant, quin & quandoque comitentur cutis horror, extremorum frigus, membrorum laſſitudo, alvi ſiccitas, dolor capitis gravativus? Viden ut hæmoptyſeos paroxyſmum portendant habitus corporis univerſi horripilatio, vaſorum in manibus detumeſcentia, pedum frigus, medius inter ſcapulas doloris ſenſus, artuum gravitas, ſpiritus difficilis? Viden ut jamjam grumoſum è ventriculo ſanguinem vomitu rejecturus, tenſivum & punctorium in lævo hypochondrio dolorem experiatur, anxietates in præcordiis perſentiſcat, animo ſæpius deficiat? Viden ut instante uteri hæmorrhagiâ tenduntur hypochondria, dolent lumbi, algent extrema, ſtringitur alvus, faciem pallor occupat? Viden ut æger præ frigore contremiſcit, ut ipſum cruciant dorſi coxendicumque dolores, ut arent fauces, ut tangenti digito reſiſtit pulſus durior, ut parca tenuiſque mingitur urina, ut flatibus turget abdomen, ut anum torquet lancinans dolor? Totidem mox ſequuturi fluxus hæmorrhoidalis præludia. Viden ut mictum cruentum prænuntiant membrorum torpor, ægrè reſpondens alvus, moleſta lumborum, inguinum, pubiſque ſenſatio? Tanta eſt ſpaſmorum in profundendo ſanguine efficacia. Simpliciſſimus illorum agendi modus. Quippe in partibus à corde remotiſſimis orti, ſanguinis ab arteriis in venas commeatum ſiſtunt, inde verſus interiora progreſſi, venarum cogunt diametros, cogunt & arteriarum alveos. Hinc præceps venoſi ſanguinis ad cordis ventriculos appulſus, intereadùm pertinaciter ad ſe mutuò adducta arteriarum latera, jam contentum motu retrogrado urgent ſanguinem, nedum de novo appellentis impetui pareant. Hinc cor ingeminat ictus, queis fluidorum quâ obruitur molem diſturbet, ipſique inveniat locum. Hinc fortior ſanguinis à centro ad peripheriam niſus. Hinc tunicis dêfinita mollioribus vaſa magis diſtenduntur magiſque. Hinc tandem diſſiliunt, liberioremque ſanguini pandunt viam. Sic intellecto naturæ in producendis hæmorrhagiis mechaniſmo, quid in iis curandis facto ſit opus eluceſcit. Has genuit ſpaſmus, ſpaſmus ergò ſi adſit leniendus componenduſque, ſi jam remiſerit præcavendus. Primum feriunt ſcopum frictiones, pediluvia, enemata emollientia, copioſus calidæ hauſtus, nitroſa, papaveracea, ipſaque aliquando narcotica. Sed ſpaſmis ortum dederunt dabuntque iterum ſanguinis plethora aut æſtus. Spaſmum igitur præcavebis plethoram tollendo, æſtum comprimendo. Hunc & illam pariter ſedat tollitque repetita pluries venæſectio, æſtum inprimis moderatur refrigerans potus, nitroſus, acidulatus, ſerum lactis, emulſiones, &c. Necdum tamen omne punctum tuliſti. Removendæ ſi quæ ſint viſcerum obſtructiones, attenuandus ſpiſſior ſanguis, placanda febris, revocandæ quæ ſilent ſecretiones. Verbo dicam, æquabilis liberque per ſingula corporis vaſa reddatur humorum itus rediruſque, aperta priùs ſponte coaleſcent vaſa, nec inſuetam calcare viam tentabit ulterius undâ purpurea. I nunc, totuſque in aſtringendo, quem vi coactus ſanguis ſibi paravit exitu, ſolidis partibus erethiſmum inferas, omnis generis evacuationes ſufflamina, ſuccos in viſceribus congeras, ipſoque morbo formidanda magis adhibeas medicamenta.

I I I.

ADSTRINGENTIUM nomine ea apud medicos veniunt medicamenta, quæ villos partium elementares ad intimiorem contactum adducunt, membranarum texturam reddunt firmiorem, ingenitum vaſorum parietibus elaterem ita valent intendere ut omnem inde præ nimiâ rigiditate amittant motum, eorumdem ita contrahunt oſcula ut effluxuris humoribus via præcludatur. Ampliſſima horumce remediorum familia. Pauciſſima ex animali regno; multa eaque ſat potentia ex vegetabili; ex minerali pauca depromuntur, ſed validiſſima. Inter uſitatiora recenſentur radices, Tormentillæ, Biſtortæ, Pentaphilli, Plantaginis, flores roſarum

rubrarum, Balaustiorum, Chinæ & Granatorum cortices, fructus Myrtillorum, Cupressi nuces, Acaciæ & Hypocystidis succi, Sanguis draconis, Corallia, terræ sigillatæ omnes, Unicornu fossile, Bolus armena, terra impropriè sic dicta Catechu, Cornu cervi & Ebur usta, Hæmatites lapis, Crocus martis adstringens, Alumen, omnis generis Vitriola, Colchotar, spiritus acidi minerales. Adstringentibus omnibus sapor competit acerbus, austerus, terreus, acidus, stypticus, saltem ex illis unus. Si labiis linguâ ve subformâ solidâ superponantur, ipsis adhærent non sine vi avellenda, quo madent illæ partes humorem avidè combibunt, porosque novus unde exhalasset humor constringendo, easdem cum avulsa fuerint aridas relinquunt & exsuccas. Si sub liquoris specie vel summis labris degustentur, ipsa pungunt, vellicant, contrahunt, corrugant, exsiccant. Ab interno & largiori illorum usu comprimitur alvus, pulsus fit durior, sitiunt fauces. Suam vim omnem repetunt aut ab elemento martiali, aut à principio terreo, aut ab acido fortiori, vel solo, vel cum terrâ metallisve conjuncto. Acido solo constringunt spiritus acidi minerales. Metallo pariter & acido unà copulatis, acceptam referunt fibras compingendi efficaciam vitriola. Adstrictoriam facultatem in alumine, radicibus, fructibus, succisque superius dictis dividunt simul acidum terreumque elementum. Martiali principio operantur crocus martis & lapis hæmatites. Terræ quâ tota ferè constant stringendi virtutem debent unicornu, cornu cervi, testacea, &c. Injecta vivorum animalium venis decocta spiritusve adstringentia, (*a*) sanguinem coagulant, circulationique prorsùs ineptum reddunt. Sanguini ex arteriâ prorumpenti admixta eadem, ipsi fluiditatem adimunt, (*b*) inque massam plus minùsve spissam convertunt. Ne credas tamen hæc experimenta, in hæmorrhagiarum curatione medicamentis adstringentibus palmam deferre. Omne quod operantur à spasmodicis constrictionibus quas in toto nervorum systemate suscitant deducendum est. Enimverò quantâ pertinaciâ ab interno adstringentium usu alvus claudatur animo revolvas; cogites incredibilem, microscopiisque necdum visam, osculorum quibus hiant venæ lacteæ angustiam; attendas quàm nerveus sit, quàm sensilis, quantùm ad spasmos proclivis universus primarum viarum apparatus; in mentem revoces quantâ vi vel solo adstringentium contactu accedant ad invicem, penèque cum axi coincidant majorum vasorum latera; lubens fateberis omnem sibimet ipsis ad commune humorum oceanum viam interceptura esse (*c*) hausta interius adstringentia. Quid igitur ab hujusmodi remediis in eradicandâ hæmorrhagiarum causâ est expectandum? Rigentes spasmo membranas non laxant, tendunt contrà. Turgentem æstu sanguinem non componunt, mole excedentem non minuunt, lentore peccantem non dissolvunt, nimiâ abreptum velocitate non retinent, obstructa non reserant viscera, concretam in polypos lympham non dividunt, cessatas demum evacuationes non restituunt, legitimas è contrario minuunt, impediunt, sistunt ommino.

(*a*) Joan. Freind. Emmenol. cap. 14.
(*b*) Id. *ibid.*
(*c*) *Vid.* Tralles. tract. de terr. remed. cap. 11. §. 2.

IV.

HÆMORRHAGIAS adstringentium ope corceri nemo nescit. Ab adstringentibus posse easdem foveri, quin & augeri aliquando nequidem verosimile videretur, nisi quotidiana illud commonstraret experientia. Testes appello Clinicos expertissimos. Quot non viderunt adhibitis nequicquam adstringentibus vitam cum sanguine fundentes ægros? Quoties sanguinem serie tantùm interruptâ, nec velocitate copiâque nimiis priùs effluentem, ab interno potissimùm stypticorum usu, pleno jam gurgite profluentem mirati sunt? Tàm stupendi phænomeni rationem declarant superiùs exposita adstringentium sapores, virtus, principia, effectus. Seu enim externè admoveantur quod tutius, seu quod periculi

pleniſſimum interiùs aſſumantur ; non modò quas tangunt fibras contendunt, denſant, abbreviant ; vaſorum quibus offeruntur alveos anguſtiores reddunt, ora coarctant ; partium quas affricant molem deprimunt, ſtringunt, minuunt ; ſed neque etiam iidem ſunt ipſis agendi, ac partibus quibus applicantur extenſionis fines. Nervorum interventu ad remotiſſima quæque loca diffunditur adſtringentium vis. Univerſalis inde oritur fibrarum tenſio, inde vaſa omnia imprimis capillaria fortius conſtringuntur, inde circuitus ſanguinis turbatur æquabilitas. Inde iniquo incluſi ſpatio humores verſùs oſtia jam patentia ruunt facto agmine, fomitemque fluxui ſanguineo ſubminiſtrant. Equidem ſi largiores ingeſſeris crebrioreſque adſtringentium doſes, hæmorrhagias ſubito cohiberi continget. Verùm quis fando enarrabit quot & quanta inde exurgant damna. Narium hæmorrhagias ſtypticis curatas preſſo pede inſequuntur (*a*) comata, deliria, apoplexiæ, mortes repentinæ. *Largæ ſanguinis ex naribus eruptiones per vim ſuppreſſæ, interdum convulſiones accerſunt, unde liberat venæ ſectio* (*b*). Hæmoptyſim vi cohibitam excipiunt aſthma, tabes, ſputum purulentum, hydrops pectoris (*c*). Retropulſa adſtringentibus cruenta vomitio cachexiam, ventriculi inflammationem, pathemata hypochondriaca ægris ſæpiſſimè infert (*d*). Nimis impetuoſe ſiſtentibus remediis medicata, in renum exulcerationem putredinemque abit mictio cruenta (*e*). Nulla non importat ſecum funeſtiſſima ſymptomata hæmorrhoidum (*f*) per medicamenta validè conſtringentia facta ſuppreſſio, ſcilicet dolores colicos, melancholiam, maniam, catarrhos ſuffocativos, præcordiorum anxietatem, morbum attonitum, orthopneam, icterum, animi deliquia, cordis palpitationes, motus convulſivos, alioſque ſexcentos ægro medicoque pariter crucem figentes affectus, ut tabes & hydrops. Hinc Hipp. (*g*) *Diuturnum ſanguinis profluvium per ora venarum quæ in ano ſunt, curanti, niſi una ſervetur periculum eſt ne aqua intercutem aut tabes ſuccedat.* Menſes immodici per validiora adſtringentia intùs retenti, lentas & hecticas febres, ſuffocationes, fluores albos, uteri ulcerationes, omneſque quos egregiè adeo ſimulat morbos paſſio hiſterica in mulieres operantur (*h*). Quid plura ? aliquando ſedatis adſtringentium beneficio hæmorrhagiis, dum ſe ab inſidiis tutum credit æger, ſanguis viribus recollectis, obſtructos recludit exitus, animamque nullâ jam arte revocabilem auferendo ſecum, novos acerbioreſque excitat luctus. Tot cladium quas pariunt adſtringentia non longè quærenda ratio. Non ſecùs ac enim torrens oppoſito aggere factus velocior vicina remotaque loca devaſtat, ita & ſanguis in curſu impeditus, clauſamque offendens quam ſibi fecerat viam, varias partes mole ſuâ impetit, nunc ſibi ignotos ſubit vaſorum lymphaticorum mæandos paritque inflammationem ſuppurationis prodromum, nunc diverſis in locis hæret, ſpiſſeſcit, pluriumque morborum chronicorum radices agit. Modò obruit cerebrum, & lethalem nervis infert compreſſionem. Modò membranaceas inteſtinorum tunicas moleſtè diſtendit, aliàs infarcit pulmones, vitalis antliæ motum aliàs intercipit. Nec ſolùm liberæ ſanguinis effuſioni obſtando tam diras edunt ſtrages ſtyptica medicamenta. Quæ ipſorum uſum ſubſequuntur alvus adſtricta, oris ſiccitas, pulſus durities, univerſum genus nervoſum ab ipſis ſpaſmodice contendi ferèque immotum reddi demonſtrant. Quid mirum igitur quod feriante vaſorum nimis rigentium oſcillatione, mille in locis detinea-

(*a*) Hoffm. tom. 4 part. 2. ſect. 1. cap. 1. §. 17.
(*b*) Hipp. coac. præn. ſent. 335.
(*c*) Junker. conſp. med. tab. 8.
(*d*) Id. tab. 9. Hoffm. *ibid.* cap. 3. §. 11.
(*e*) Hoffm. *ibid.* cap. 6. §. 17. & cautel. clin. ejuſd. cap. §. 5. Junker. tab. 10.
(*f*) Id. tab. 11. Albert. tract. de hæmorroid. diſſ. de hæmorrhoid. ſupp. theſ. 6.
(*g*) Aph. 12. ſect. 6.
(*h*) Hoffm. *ibid.* cap. 5. Cautel. clin. §. 4. Junker. *ibid.* tab. 14.

tur sanguis velut in angustias conclusus, quòd in visceribus congerantur humores, quòd lentescant fluida, quòd polypi generentur, quòd otientur organa secretoria, quòd sanguis hìc & illìc obices nactus, alibi feratur impetuosiùs, quòd æstu jam fervens fortiùs adhuc ebulliat, quòd & ipsa inde oriatur morborum fœcunda parens plethora. Et sane cum nihil aliud sit illa quàm vasorum capacitatem inter & humorum redundantium molem sublata proportio, nonne idem est immutatâ quantitate fluidorum, vasa spasmodice coarctari; ac manente eâdem vasorum diametro, augeri sanguinis molem. Dicam quòd res est, amplior esset profectò mirandi locus, nec jam ad Mechanicæ & Hydraulices regulas componeretur humana machina, si tot incommodis vacaret adstringentium usus frequentior.

V.

SED inquies, ergò nunquam licet in curandis hæmorrhagiis usurpare adstringentia. Minimè. Licet in symptomaticis, sed rarò. Non statim, sed sub finem. Non simul & semel, sed successivè. Non largâ, sed remissiori dosi, adhibitoque sufficienti vehiculo. Non vigentibus in corpore spasmis, sed penitùs compositis. Non turgentibus sanguine vasis, sed repetitâ venæ sectione priùs depletis. Non expansis ultrà modum humoribus, sed in totum sedato illorum æstu. Non hærente adhucdum in visceribus, eademque cumulante sanguine, sed solutis omninò obstructionibus. Non si moderatè, nec nimiâ quantitate fluat sanguis, sed ubi maxima subsequens virium jactura, extremum ægro minatur vitæ diem. Non inexpertâ alterius generis remediorum efficaciâ, sed cùm exhibita incassum fuerint auxilia causæ morbi accommodata. Hæc etiam in præscribendis adstringentibus maximè tenenda cautio, ut scilicet à lenissimis ducatur initium, sensimque fiat ad validiora progressus, quibus tamen ultimis nisi summa urgeat necessitas abstinere erit prudentissimum. Insupèr cane pejus & angue fugiendus internus adstringentium usus, quippe qui intestinorum, nec non omnium viscerum chylopoeiorum elaterem destruat & tonum, levaminisque multo minùs sanguinem cohibendo afferat, quàm noxæ, firmiorum obstructionum fundamenta constituendo. In criticis sanguinis eruptionibus exulanda prorsùs adstringentia. Tanquam salutares expedientis se naturæ motus excipienda sunt hujusmodi profluvia. Hæc igitur turbare nefas. Enimverò inquit Hippocrates. *Quibus in febre aures obsurduerint, sanguis è naribus effluens morbum solvit* (a). *Quibus spes est abscessum fore ad articulos, eos abscessu liberat urina.... Si vero etiam ex naribus sanguis eruperit brevi admodum solvit* (b). *Mulieri menstruis deficientibus, è naribus sanguinem fluere bonum* (c). *Caput laboranti, & circum circa dolenti, sanguis effluens per nares, aut per os, aut per aures, morbum solvit* (d). *Melancholicis & nephriticis, hæmorroides supervenientes bonum* (e). *Insanientibus si varices, aut sanguinis profluvium per ora venarum quæ in ano sunt, hæmorrhoides dicuntur, accesserint insaniæ solutio fit* (f). *Larga sanguinis hæmorrhagia à magnis morbis liberat* (g). *Et* Duretus *febres ardentes in juvenibus sanantur per hæmorrhagiam* (h). Juvat nunc fundatam ratione & experientiâ conclusionem præstantissimorum practicorum testimonio confirmare.

» Ubicunque fiunt fluxiones sanguinis ab obstructione vasorum & ab ordinario » denegato spatio, ab orgasmo, à copiâ, ita ut sanguis contineri alveis suis non » possit præ angustiâ & rarefactione nimiâ, sed cogatur derelinquere stationem » & alibi exitum quærere, adstringentia easdem non remorantur, sed promovent » potiùs. Quando datis tunc tempore adstringentibus tenduntur & corrugantur

(a) Ap. 60. Sect. 4.
(b) Aph. 74. sect. 4.
(c) Aph. 33. sect. 5.
(d) Aph. 10. sect. 6.
(e) Aph. 11. sect. 6.
(f) Aph. 21. sect. 6.
(g) Libr. 2. epid.
(h) Comment. in Coac. Hipp. pag. 345.

» magis fibræ angustaturque magis spatium, fieri aliter non potest, quàm ut exprimatur cogaturque humor..... Conveniunt autem illa potiùs quæ sanguinis » circulum in ordinem redigunt, auferuntque vim illam coactivam, venæ sectio, » purgantia & aperientia ipsa « (*i*). Nec faustiora de adstringentibus prædicat *Junkerus* » facilius est hecticam per adstringentia provocare quàm hæmorrhagias » per eadem sistere: nam in parvâ dosi exhibita, fluxum non sistunt, sed potiùs » augent, quando autem copiose ingeruntur, succedunt obstructiones viscerum » & his consectaria, nempe stases, suppurationes &c. (*k*) « Germanorum verè Hippocrates *Frid. Hoffmannus* ita de adstringentibus disserit. » Positive adstringentia, quæ eminentioris sunt virtutis & austero ac fixiori elemento agunt, naturæ inimicissima sunt; quin imò veneni cujusdam naturam in eo æmulantur » quòd gravissimam noxam valetudini inferant (*l*). *Idem*, nunquam hæmorrhagia licet fuerit enormis, quando à causâ internâ proficiscitur, fortiori medicinâ stypticâ reprimenda est (*m*). *Idem*, adstringentia naturæ animantium & vitalibus motibus minùs favent & amica sunt, adeoque nec satis fida, nec secura » nisi magnâ cum prudentiâ adhibeantur; experientia enim in dies docet, ab improvidè datis constringentibus in compescendis nimiis sanguinis fluxibus innumera damna & noxas induci, ac perquàm facilè inde ægrotantes lentas febres, » cachexiam, tumores œdematosos, affectus spasmodicos, colicos & hypochondriacos incurrere (*n*). *Idem*, sicuti remedia quæ validiori adstringendi facultate » pollent, nunquam ullo in morbo, ita nec in hæmorrhagiis securam operam » præstant (*o*) «. Hanc etiam de adstringentibus sententiam calculo suo comprobat *Lud. Baltaz. Tralles* » studiosè hic de adstringentibus taceo, quæ in hæmorrhagiarum omnium medelâ aut nil valent aut nocent, nisi fortè tanquam topica ipsi » parti adfectæ ea applicare licet. Tùm verò quando immediatè agere possunt in » vasa cruorem plorantia virtus eorum non proletaria sæpius animadvertitur. « Ex dictis hactenùs patet jam evidenter 1°. criticas hæmorrhagias nunquam esse cohibendas, nedum id fieri adstringentibus debeat. 2°. Ad tollendas symptomaticarum causas inepta esse ut plurimùm styptica remedia. 3°. Tutum non esse illorum usum, nisi cum immediatus hæc inter & vasa disrupta dari potest contactus, quod cùm raro admodum possit contingere, liceat concludere.

(*i*) Wedel. amœnit. mat. med. l. 1. sect. 2. c. 2. art. 11.
(*k*) Censp. med. tab. v.
(*l*) Med. rat. tom. 2. part. 3. cap. 4. §. 9.
(*m*) *Ibid.* tom. 3. sect. 1. cap. 6.
(*n*) Tom. 3. sect. 2. cap. 6.
(*o*) Tom. 4. sect. 1. cap. v. §. 8.
(*p*) Tract. de virib. terreor. remed. cap. 14. §. 6.

Ergò raro Hæmorrhagiis Adstringentia.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Josephus de Jussieu.	*M. Robertus-Hubertus Linguet.*	*M. Camillus Falconet, Saluhris Consilii Regii Socius, & è Regiâ Numismatum Academiâ.*
M. Henricus-Franciscus Bourdelin, Scholarum Professor.	*M. Petrus Roussin de Montabourg, Consiliarius Medicus Regis ordinarius, necnon urbis Regiæ, Regiique Nosocomii San-Germani in Layâ.*	*M. Hyancinthus Theodorus Baron, Antiquus Facultatis Decanus.*
M. Antonius-Joannes Daval.	*M. Achilles Franciscus Fontaine.*	*M. Joannes-Franciscus Combier.*

Proponebat Parisiis, THEODORUS BARON D'HENOUVILLE, Parisinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1742, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.